Quelle:
Copyright:

Quodsi quis aetatem codicum a nobis quaesierit, vetustissimos neque eos ita multos a saeculo IX. usque ad XII. scriptos esse ei respondebimus. E saeculo vero XIII. satis magna librorum copia in bibliotheca exstat, qui summa scribendi arte ac cura scripti et litteris maioribus vel minoribus artificiose pictis vel deauratis exornati aut rubricis nitidissime miniatis distincti sunt. Ii esse censendi sunt libri, qui A.T. ad sacrae scripturae V. F. et SS. Patrum studium promovendum vel ad rerum divinarum scientiam augendam pertinentes praecepta de virtutibus atque honestate morum exercendis aut homines docent aut ad communem vitae usum conferunt; quibus libris et Otto, quem monasterii Priorem 1247 anno MCCXXXXVII. abbatem monasterii Mellicensis electum esse veri simillimum est, et Hermanus sacerdos et Burchardus monachus, quos idem liberalioris atque humanioris vitae studium familiari cousuetudine iunxerat, inter annos MCCXXX. 1230 et MCCXXXX. 1240 rem librariam monasterii haud mediocriter auxerunt. Quam rem et quam infra dicemus bibliothecae fortunam Ignatius Franciscus Keiblinger, rerum Mellicensium florentissimus auctor, dilucide narrat. (cf. Ig. Fr. Keiblinger, *Geschichte des Benedictiner-Stiftes Melk in Niederösterreich, Wien 1851,* vol. I. pg. 336 sqq.) Sed postridie Idus Augustas, qui est dies vigiliae festi B. Mariae Virginis in coelum assumptae, 1297 anni MCCLXXXXVII. cum et monasterium et ecclesia atroci incendio delerentur, vetustissimi libri flammis correpti et combusti interierunt, pauci exstincto incendio superstites evaserunt.

Verumtamen si quando monasterium Mellicense ecclesiasticorum aut profanorum scriptorum ingenii laude et librariorum scribendi dexteritate floruit, tum maxime floruit, cum priore XV. saeculi parte sub Nicolao Seyringer de Matzen 1418-25 (ab anno MCCCCXVIII—MCCCCXXV.) et Leonardo de Straubing (ab anno MCCCCXXVI—MCCCCXXXIII.) abbatibus 1426-33